

INCIPIT EPISTOLA PII PAPAE ECCLESIIIS OMNIBUS, UT DIE DOMINICO PASCHA CELEBRETUR 33r

Omnibus ecclesiis in eadem, qua sumus, fide et doctrina manentibus Pius apostolicae sedis archiepiscopus. 1

5 Gratias agimus, fratres, deo, quoniam crescit fides vestra et abundat caritas uniuscuiusque omnium vestrum in invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis dei. Videte, fratres, videte, ut nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suae et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexum et coniunctiones ministratum et constructum crescit in augmentum dei, sed induite vos sicut electi dei sancti et dilecti viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis habet querelam, et sicut Christus donavit vobis, ita et vos. 2 33v

15 Ceterum nosse vos volumus, quod pascha domini die dominico annuis temporibus sit celebranda. Istis ergo temporibus Hermes doctor fidei et scripturarum effulsit inter nos, et licet nos eodem pascha praedicta die celebremus, et quidam inde dubitarent, ad corroborandas tamen animas eorum eidem Herme angelus domini in habitu pastoris apparuit et praecepit ei, ut pascha die dominico ab omnibus celebraretur tempore suo. Unde et vos apostolica auctoritate instruimus omnes eadem servare debere, quia et nos eadem servamus, nec debetis a capite quoquo modo dissidere. 3

25 Cavete diligenter omnes, ne quis vos decipiat per aliquam astrologiam vel philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum et traditionem rectam. In Christo enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut sitis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis. Qui et hanc sanctam apostolicam sedem omnium ecclesiarum caput esse praecepit ipso dicente principi apostolorum Petro: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalerunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelo, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelo. 4

35 Quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum praestat erranti? Oves enim pastorem suum non repraehendant, plebs vero episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat, quia non est discipulus super magistrum neque servus super dominum. Episcopi autem a deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit, nam a subditis aut pravae vitae hominibus non sunt arguendi vel accusandi aut lacerandi ipso domino exemplum dante, quando per seipsum et non per alium vendentes sacerdotes et ementes eiecit de templo et mensas nummulariorum proprio evertit flagello et eiecit de templo et sicut alibi per prophetam loquitur dicens: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. Si quis vero a suo proposito retrorsum exorbitaverit et iussum apostolicae sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur. Reprobari ergo oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt. Fides autem et conversatio primum scrutanda est et denuo, qui irrepraehensibiles apparuerint, sunt recipiendi, et non prius, quia bo- 5

6 vobis] corrected from nobis 15 scripturarum] corrected from scripturam 20 servare ... eadem²] added in margin debetis] corrected from debemus 36 a] added non sunt] added 37 exemplum] corrected from exemplo 41 sedis] corrected from sedes 43 autem] corrected from aut

nus homo testante veritatis voce ex bono thesauro cordis sui profert bona, et 45
 malus homo ex malo thesauro cordis sui profert mala. Ex abundantia enim cordis
 os loquitur. Ideo persona et opinio ac vita uniuscuiusque in initio rimanda est,
 quia boni semper infestantur a malis. Boni enim cum malis, licet mixti sint in
 ecclesia, vix concordare inveniuntur, quoniam dissimilis est eorum cogitatio,
 voluntas et actus. 50

6 Nihil enim prodest homini ieiunare et orare et alia religionis bona agere, nisi
 mens ab iniquitate revocetur et ab obtreptionibus lingua cohibeatur. Unde ait
 propheta: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua, ne loquantur dolum, diverte a
 malo et fac bonum. Nemo enim bonum faciens alteri verbo aut facto nocere vult,
 quanto minus in suspicionem debet venire fidelis homo, ut dicat aut faciat ea, 55
 quae pati non vult, quia omnis suspicio potius repellenda est quam approbanda
 vel recipienda.

7 Caritas enim non quaerit, quae sua sunt, sed quae aliorum, quia unius causa
 multorum non est praefenda. Sectamini caritatem, aemulamini spiritalia. Caritas
 34r autem patiens est, benigna est. Caritas non aemulatur, non agit perperam, non 60
 inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat
 malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia suffert,
 omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas numquam excidit.

8 Semper rogo vos, ut deteriora reiciatis et meliora perficiatis, quia nos non spir-
 itum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex deo est, ut sciamus, quae a deo 65
 donata sunt nobis, et ea sectamini indifferenter.

9 Data VII Idus Aprilis Claro et Severo cc. cons.